



sint, discedere, iis poenæ, qua teneantur, effugiendæ spem tanto certius præcidi<sup>93)</sup>, quanto ægrius & quanto majore cum molestia sua poenæ debitæ liberationem vel iis impetraverit Jesus, qui ad conditionem latam accedere non reculent.

§. V.

Redimus ad illud, quod initio (§. I) scripsimus. Maneat ergo, sacrarum literarum de divinis nostræque experientiae non obviis rebus *Ἐρωπιαν* secundum criticæ philosophiæ præcepta *negari* non posse (§. II-IV), quique eam ut convictam insulfitatis fractamque rejiciant, eos, si disciplinæ *Kantianæ* alumni esse velint, discedere a sese nec constare sibi<sup>94)</sup>.

§. VI.

Haud paullo magis consentiunt principiis suis, qui de his capitibus *nec assentiri* audent sacris literis, sed rem omnem *in medio relinquunt*, dummodo re vera (cf. §. VII. XVI. fs) in medio relinquunt. Cum enim ratio theoretica *per se ipsa* nihil universe de his rebus constituere possit, sacrarum quoque literarum enunciationibus in hac parte assentiet *temere* (§. I), si iudicium *per se* sola facere debeat, nec aliunde (§. VII) probabilis detur causa assentiendi.

§. VII.

De rebus, quæ, licet possint humano sensu accipi, in nostrum certe sensum non incurrerunt, *ex auctoritatibus & testimonio*

93) Comm. cit. p. 600. fs.

94) v. laudatum *Tieftrunk* Præf. p. V. fs.